



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

35. An Prælati Regulares possint absolvere subditos ab hæresi occulta? Ex
p. 3. tr. 2. res. 122.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Atque de Absol. ab hær. &c. Ref. XXXV. &c. 371

DD. ubi supra in resol. 2. absolutionem ab excommunicatione occultæ hæresis impetrare, ut docet Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. cap. 11. num. 10. & lib. 4. cap. 39. num. 32. & 33. cum Finellio tract. de cas. reserv. cap. 7. num. 6. Et hoc procederet etiam, quando talis Prælati in iustis denegaret licentiam petitam: nam per episcopiam debemus credere voluntatem Papæ, & Religionis esse, ut Episcopus in eo eventu talem Religionem exemptum absolvat. Ita Pontius de matr. lib. 8. cap. 5. numero 14. Molina de iust. tom. 4. tract. 3. diff. 61. num. 5. & alij. Vide etiam Sanchez in summa, tom. 1. lib. 4. cap. 39. num. 36. & Suarez in 3. part. tom. 4. diff. 30. sect. 2. num. 3. quidquid in contrarium adversus illum asserat noster Megala in 1. part. lib. 1. cap. 13. num. 10.

RESOL. XXXV.

An Prælati Regulares possint absolvere subditos ab hæresi occulta? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 122.

Peregrinus in compendio nostrorum privilegiorum part. 2. tit. Absolutio quoad fratres, §. 2. affirmativè respondet ex privilegio, Gregorij concessio Societati Iesu die 18. Martij 1584. & hoc procedere etiam in Hispania testatur.

2. Verùm de hac facultate, præsertim in Hispania, per consequens in Regno Siciliæ valde dubitat Hieronymus Rodriguez in compend. 99. Regul. resol. 3. n. 5. & absolute non posse Superiores regulares absolvere suos subditos ab hæresi occulta docet Tamburinus de jure Abbatum, tom. 2. disp. 14. quest. 17. num. 3. Megala cons. 21. num. 6. Novar. in sing. jur. Pont. concl. 3. n. 10. Avila de censur. part. 7. disp. 10. dub. 6. not. 3. Vega in summa tom. 2. cap. 125. cas. 12. Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. cap. 17. num. 7. & hoc hodie non est dubitandum, ut ego observavi in tract. de absolutione ab hæresi ref. 6. per decretum Vibani VIII. datum Romæ die 17. Novembris 1628. in qua revocatur in ampla forma omnia privilegia Regularium absolventi in casibus contentis in Bulla Cœnæ, ut est hæresis, &c. Unde corruunt omnia argumenta, quæ ego in dicta resolutione pro opinione affirmativa adducebam. Adde quod privilegium Gregorij XIII. habet etiam difficultatem, per aliud privilegium ejusdem Gregorij, ut adversus Peregrinum observat Alphonsus de Leone de offic. & potest. Confess. tom. 2. recoll. 11. n. 209.

RESOL. XXXVI.

An Superiores Regularium possint illos absolvere ab hæresi occulta?

Et an Episcopi possint etiam ab hæresi occulta absolvere? Ex p. 6. tr. 7. & Misc. 2. Ref. 63.

Affirmativam sententiam novissimè nominatim contra me docet Stephanus Bauny in Theol. mor. p. 1. tract. 4. q. 32. ex tribus fundamentis. Primum. Quod æquitati naturali alienum videtur, ut Regulares remedio ad salutem necessario careant, carent autem si lapsi resurgere, ligati solvi, exclusi per hæresim ab Ecclesia ad eam revocari, ac admitti per Superiores suos non possint: oportuit ergo ad eos auctoritate præstare, ne quid eis ad commissæ sibi plebis regimen deesset, quo eos privatos esse jure queratur.

2. Secundum. Quod à Pio V. concessum sit Provincialibus, Præpositis, & Prioribus Ordinis S. Dominici, ut quod Episcopi, concessione Concilij, in causa subditorum faciunt, hoc illis cum fructu &

laude ad suorum utilitatem ac commodum, aggredi fas esset in foro conscientie, Rodriguez & Cundidus supra: ergo ut Episcopi à suspensione, excommunicatione, & irregularitatibus occultis, ac non deductis ad forum contentiosum, absolvere suos subditos possint vigore Concilij: ita & hi Regulares suos, vi concessi sibi privilegij, quod est generale quoad omnes facultates secundum Suarez de Relig. tom. 4. tract. 9. lib. 2. cap. 20. & commune cum Religionibus medicantium, & aliis quibus Papæ indulgentia, ac beneficio fas est in communionem gratiarum admitti, quæ ab eo uni cuiusque earum, singulari amoris erga illam argumento conceduntur.

3. Nominatim autem est indulgentia Abbatibus, Prioribus, Præfidentibus, & aliis Prælati Congregationis S. Benedicti Vallisoletani, ut annis singulis prima die Lunæ Quadragesimæ omnes & singulas personas Religiosas, ac Donatos, & Eremitas præfatæ Congregationis sub eorum cura existentes possint absolvere ab omnibus peccatis & censuris, & pœnis pro tempore incurtis, etiam in casibus, &c. Rodriguez in Bullar. fol. 816. Hujusmodi autem privilegij concedendi Regularibus hæc causa fuit, quod alioquin malè illis provisorum foret, ut potè quibus evagandi daretur occasio, quod non oportuit. Sanè novissimis hisce temporibus hoc suæ charitatis monumentum erga societatem nostram extare Gregorius XIII. voluit, ut ejus Superiores, hoc est Generalis & Provincialis absolvere ab hæresi occulta, ac ejus relapsi subditos suos valeant. Compend. Societ. verb. Absolutio, §. 3. 7. & 8. Ortiz in summa. cap. 5. num. 29. Peirinis de privileg. Minim. tom. 1. Constit. 4. Sixti IV. §. 5. num. 10. docetque Suarez de Relig. tom. 4. tract. 10. lib. 9. cap. 2. num. 17. posse Provinciales ex causa vices suas alteri committere, in casibus particularibus, non omnibus, in ref. 34. §. nisi ad id facultatem à generali habeant. Sed pace ejus sit dictum, non videtur hæc necessaria: nam qui nescit, Ordinariis communi jure fas esse subrogare, sibi idoneos homines, per quos quæ sunt officij sui, provinciarque obeant: at ab Ordinariis numero Provinciales Præpositi removeri nec possunt, nec debent: ergo in eorum est jure (nisi forte cohibitum sit, ac restrictum à Generali) ejus voluntate, ac licentia non quæ sita designare hominem, qui ejus vice fungatur per totam Provinciam in absolventis subditis ab occulta hæresi.

4. Tertium fundamentum. Quæ per Concilium Episcopis facultas datur remittendi subditorum occultam hæresim, huic per Bullam Cœnæ Domini non est derogatum; cujus sententiæ approbatores sumus, ac Authores Nugnus tom. 2. addit. ad 3. part. q. 8. art. 5. dub. 10. Ricciullus tract. de jur. person. lib. 5. cap. 14. n. 9. Barbosa de potest. Episcop. par. 2. alleg. 40. num. 21. Sed Regularibus à Pio V. in persona Provincialium, ac Priorum Ordinis S. Dominici est concessum, benigne ac perhumaniter ut agant cum suis subditis, impetiendo eis absolutionem ab hæresi, quæ non est nota, eaque demum facere legitime ut valeant quæ Episcopis esse permixta in dispensationum materia Concilium voluit, §. 24. cap. 6. ergo ut his ab excommunicatione & hæresi vinculo, Diocesanos absolvere est licitum, ita & illis liberare subditos suos ab eadem censura, & culpa hæresis, est per privilegia sua permixtum.

5. At revocantur, inquit, quotannis à Pontifice hæc privilegia in promulgatione Bullæ Cœnæ. Non probatur hæc oratio Portellio in dub. regul. ver. Abbas, num. 10. Primum quia beneficium Principis, quale est privilegium, decet esse mansurum & perpetuum: de regul. in 6. reg. 16. Secundò, quia non est credibile Pontificem Regularibus illudere velle: quod tamen faceret, si quæ privilegia, cum ad Ecclesiæ gubernacula vocatur, vult ad postulata Regularium rata, hæc

Sup. hoc sup. mo in to. 7. tr. 1. ex Ref. 292. §. Notandum, & in aliis ejus not.

Sup. hoc sup. Plus addam. ver. Docet posse.

Sup. hac re. missione sumpta in ref. 17 & in aliis ejus primæ not.

Sup. hoc sup. in ref. 34. §. ego & etiam ibi à §. Adde & §. 5. ejus. annor. & inf. in Ref. 37. §. Quid.